



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

IX. Non debere Catholicos in ea quae martyria sua haeretici dicunt,
intrare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

tadecima luna primi mensis cum Iudæis Pascha celebrant, sed & catechumenos eorum vel fideles non recipi, priusquam condemnent omnem hæresim plenissime; ante omnia autem, in qua detinebantur. Et nunc qui apud eos fideles dicuntur, symbolum fidei doceantur: atque ita vnctos sancto chrismate, diuino sacramento communicare conueniet.

VIII.

Eos qui conuertuntur ab hæresi, quæ dicitur Cataphrygarum, seque in clero constitutos existimant, quamuis magni dicantur, huiusmodi cum omni diligentia catechizari oportet, & baptizari ab Ecclesiæ Catholicæ Episcopis & presbyteris.

IX.

Non concedendum in cœmeteria & quæ martyria hæreticorum dicuntur, Catholicos orationis gratia & petendæ curationis intrare. Sed & qui ierint, si sunt fideles, incommunicabiles factos, ad pœnitentiam vsque ad aliquod tempus redigi: pœnitentes autem eos, & errasse se confitentes, suscipi oportere.

X.

Eos qui ad Ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociare debere.

XI.

Mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ seniores, vniuiræ & matriculariæ nominantur, in Ecclesia, tamquam ordinatas, constitui non debere.